DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. NOVEMBRIS,

M. IOANNE DE SAINT-YON Doctore Medico, Moderatore.

An inſalubriùs degunt Infantes alio quàm ſanæ Parentis lacte educati? 971

VT quis toto vitæ curriculo ſalubriter & ſine moleſtia degat, non ſatis eſt è valido parentum ſemine firmam traxerit corporis conſtitutionem : niſi qualem primùm accepit, deinceps tueatur omni præſidiorum genere; maximè verò idoneâ victus lege, cuius ea vis eſt eximia; vt eius vnius ope etiam hereditarij morbi radicitus interdum exſcindantur, aut certè magnâ ex parte mitigentur; nec raro deploratæ valetudinis homines præter ſuam, & Medicorum ſpem, è dubijs ægritudinum vadis ad optatum proſperæ ſanitatis portum emergant. Rerum omnium quæ nos immutant, habenda quidem Medico ratio; Imprimis verò cibi & potus, qui inter evidentes ſanitatis atque morborum cauſas iure principem ſibi locum vendicant; ſive quòd permanentem ac inhæreſcentem corpori materiam ſuppeditando, validiùs contumaciùſque ipſum afficiunt : ſive quia dum in ventriculum, inteſtina, mezenterium, jecur, & venas illabuntur, vires tacitas & quaſi ſopitas, quibus pollent, exerunt, iiſque vniverſum imbuunt corpus. Miraris graves ac difficiles pleroſque morbos ſponte emanare, nullo alterius cauſæ impulſu, cogita quàm ſæpe in victu peccaveris; nec ampliùs tui te cauſa latebit morbi.

SVMMAS temperamentorum differentias facile propriis ſignis internoſcere poteſt, quiſquis Medicinam à limine ſalutavit : propriam cuiuſque naturam, ac peculiarem temperamenti rationem, ἰδιοσυγκρασίαν vulgò vocant, nullus niſi ſagax & ad vnguem perfectus Medicus, qui tum demum ad artis apicem perveniſſe cenſendus eſt, cùm alimentorum quoque facultates, ac vernaculas qualitates ita habuerit exploratas, vt privato cuique, privatum, & ſubſtantiâ viribuſque ſimillimum accommodet alimentum, quo poſſit vita nativuſque calor, in eo quo debet, ſtatu conſervari, non poſſit immutari. Eam verò accuratam in præſcribendis cuique cibis cautionem quotuſquiſque nunc adhibet? Alter ſibi videtur Æſculapius, qui ſingularem eorum temperiem & naturam è ſpeciei temperamento novit vtcumque definire, cùm interim loci, temporis, ætatis, aliorúmque accidentium ratione, ſuo quique modo magis ab invicem diſcrepent, quàm moribus, & vultu ſinguli homines. Cur iuxta fluvios ſalices, in paludibus alni, in montibus orni naſcuntur & lætius adoleſcunt? cur hîc gramina, alibi arbores, hîc ſegetes, illic veniunt maturiùs vuæ? niſi quod ſingulis amica cuique ſolo natura ſubeſt : animadvertis vt eadem planta quæ in hac terræ plaga impune editur, in illa venenum eſt præſentiſſimum? Ecce ignava in quibuſdam regionibus medicamenta, in alijs effrænatâ vi purgant. Vulgare equi alimentum fœnum eſt : at hoc apto in fundo ortum, avidè expetit : illud ne fame quidem confectus attingit, aut deguſtatum illico reſpuit. Planè eadem eſt hominum ratio, quorum ſaluti tum demum præclarè conſulitur, cùm in locum ſubſtantiæ perpetuò è corpore defluentis, prorſus congener & cognata reponitur : Hanc porrò tuendæ valetudinis ſummam, nunquam tutiùs exprimes, quàm ſi ducem ſequaris Naturam, ſimilium omnino rapacem, & cupidam.

CVM in vtero producitur homo, vbi è parentis vtriuſque ſemine iacta ſunt prima ſolidarum partium fundamenta, illabitur ſtatim maternus ſanguis, ex quo vt inania replentur illarum ſpacia, & viſcera carnoſæque partes omnino coaleſcunt, ſic deinceps omnes peræquè nutriuntur capiuntque in dies incrementum : ac ne hoc quidem careret editus in lucem infans, duos illi Natura lactei liquoris fontes aperuit, è quibus duceret genuinum illum ſuccum, quo prius in vtero alebatur, vt revera naſcendo mutarit locum, non mutarit alimentum : placuit tenellis ac pluſquam cereis membris cognatam applicando materiam, ſimul & ipſam matris temperiem imprimi, vt ſic non corpore tantùm, nec vultu foret, at morum quoque filius, per ipſa parentum veſtigia hoc procliviore paſſu iturus, quòd eodem planè luto ficta gerat præcordia. Ne qua etiam fieret nominis amoriſque materni diviſio, mirâ providentiâ factum eſt, vt dum affixum pendentemque è mamma puerum paſcit mater, ſuum ipſa paſcat atque expleat animum, modò vbi cervicem flagrantia detorquet ad oſcula, modò cùm in prole ſe ſuamque contemplatur imaginem, menti & oculis tam pertinaciter quàm iucundè hæſuram. Hac cunctis viventibus communi lege prudens Natura voluit educari infantes, vt ſi quando ſine cauſa ſontica violetur, magnum id adferat ſoboli detrimentum, ſæpe & in authores tanti mali parentes redundaturum. Potior generandi formandique hominis pars eſt tenelli pueri nutricatio : quæ liberos procreat, ferè incertum dat non ſentienti beneficium, quæ genitum lactat, lactenti philtrum propinat certiſſimum : proli operam dare poſſunt, & ſolent ipſæ pecudes; vtilem Reipublicæ civem alere, ſoli planéque pauci homines.

CRIMEN omni ſupplicio maius admittit Tigride ſævior mater, quæ prolem tædio educationis exponit : at non multò leviùs peccat, quæ recuſat alere quem peperit; niſi tamen abortiiſſe veriùs, quàm peperiſſe dicenda eſt, quæ quod enixa eſt, mox velut inviſum vteri onus abijcit. Noverca certè vel ſemimater haberi debet, quæ adhuc tepentem cogit alieno aſſueſcere cibo, plerumque ſuo maximo, quemadmodum & illius periculo; ſcilicet quæ metuit ne mammas pulchritudinis inſignia devenuſtet, ac in præproperam incidat formæ iacturam, ſæpe mortem incurrit præproperam, lactis averſioni corruptionique imputandam: nec interim meliori loco res eſt infantuli, fortè rus, ad mammam conductitiam relegati. Vides vt triticum in aliud ſolum projectum degenerat in ſiliginem, vt plantis frugibúſque tranſlatis, terræ ſuccus mutat ingenium : huius tu corpuſculum, mores & indolem non credes alieno lacte depravari? Fruſtra id guſtu, viſu, vnguibus exploraveris : occurrant ſi lubet expetitæ dotes, erit quod improbetur, ſi maternum deſideratur, & vt non adeo referat, quem ſuccum bibat mollis infantia, vllam-ne putas eſſe nutricem quæ veluti mater placidè queat omnem nutricationis devorare moleſtiam? ſordes, vagitus, morbos, ſervandi denique nunquam ſatis diligentem curam? Fruſtra accerſis Medicum qui mores venetur in vultu, qui ex ætate, voce, habitu, temperiem æſtimet. Iſta quæ compoſitis ad modeſtiam oculis Lucretiam ſimulat, vilis ancilla eſt, duræ, quâ premitur, ſervitutis impatiens : hęc forſan ſordidum eſt ac triobolare ſcortum, cui maximum ſit ad libidinem incentiuum, maximum è lacte vectigal : ſic ſæpe teſtis illicitæ veneris ſuccus magno vænit apud ſtolidas puerperas, quæ ſuæ proli ſatis ſupérque proſpexiſſe arbitrantur, ſi perfecerint, vt tota culinæ induſtria dirigatur in nutricem mollitie, otio, crudique alimenti copiâ diffluentem : vt in opimo, probè oblimato, & ſtercorato ſolo ſponte natæ arbores promptiùs ac generoſiùs adoleſcunt, non item peregrinæ; ſic fruſtra lac quæris infanti copioſum, niſi & familiare præbes ac notum. Cauſantur apud nos multæ teneram ætatulam, dubiam ſanitatem, ipſum denique virum, qui matrem ipſam maternis vacare vetat officiis. Nempe iam eò venere mores, vt ad luctam validæ ſoláque libidine fortes mulieres tum demum bellè ſecum actum iri putent, ſi perpetuò libidinentur, rarò pariant, nunquam lactare iubeantur.

DICI vix poteſt quantùm infanti officiant nutrices, quæ lacte defectæ pulticulam, aut vinum aquâ dilutum, vel nondum ſolidioribus cibis parem cogunt pane, pomis, atque carnibus veſci, aut diutius eſurire : nec verò in eius commoda minùs peccant, quæ ne tantiſper vagientem exaudiant, crudo, ſaturo & vomiturienti centies in die mammam admovent : ſic propè in omnibus meritò deſideres idoneum alimentum, ſed & meritò deſideres amorem ac ſtudium : nec enim parum intereſt quo pacto puerile corpus ab ipſo protinus ortu curetur. Vt illi bene ſit, non ſolùm lactis, quanquam ferè caput eſt, delectus expetitur; ſed etiam loci, domus, linteorum, ſomni, motus, frictionum, vnctionum, ac veſtitus. Quòd multi paſſim occurrant pravâ indole, perditis moribus, craſſo ingenio, imbecillo & pleriſque morbis obnoxio corpore, facit lac alienum, & nutricum intemperantia : quòd non ferè pauciores ſint gibbi, valgi, vari, compernes, claudi, fractis lumbis, diſtortis membris, faſtigiato capite, compreſſo thorace, ventre prominulo, ſanè acceptum ferendum eſt earumdem incuriæ : ſcilicet quem vel ipſa negligit mater, perbellè curabit mercede conducta mulier, cui nonnihil pecuniæ plus eſt, quàm totus homo? & hoſce monſtro ſimiles partus frequentiùs nunc deprehendas in illuſtri familia, quàm in pauperum caſa. Hinc ſæpe filij Heroum noxæ. Quid quòd interdùm crimen crimine tegitur? ac ſicubi vel ſponte mortuus, vel imprudenter caſuve aliquo oppreſſus ſit puſio, ſuffectus alius parentibus credulis & imprudentibus impudenter obtruditur, ne non aliquando procedat menſtruum pro alumni victu ſtipendium. Sic hodie damnoſa nocet ſobolis negligentia; ſic ætas parentum pejor avis, tulit nos nequiores, daturos quoque mox progeniem vitioſiorem.

Ergo inſalubriùs degunt Infantes alio quàm ſanæ Parentis lacte educati.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DE MONTIGNY, Abrincenſis, A. R. S. H. M. DC. XLVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Rolandus Merlet. | *M. Quintinus Thevenin.* | *M. Carolus le Clerc.*
M. Stephanus le Gagneur. | *M. Carolus le Breton.* | *M. Ioannes Bourgeois.*
M. Petrus Bourdelot. | *M. Claudius Perraut.* | *M. Mauritius de Monſtrœil.*